



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titulus XVIII. De furtis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

sponte non fuerunt, & absque ipsarum, & parentum voluntate rapiuntur, nihilominus vel parentibus, vel propinquis restituantur, & aliis, si voluerint, nubant: nam ipsorum, à quibus rapta sunt, legitima demum uxores nullatenus esse possunt. Concil. Meldense can. 67. Qui sanctimonialis, virgines, vel viduas rapiunt, & progressu etiam criminis in conjugium sumunt, publica poenitentia iuxta modum, quem praeviderit Episcopus, subigantur: ipse vero locis congruis poenitentia retrudantur, & ad habitum religionis redire cogantur: uterque autem sine ulla spe uxoria copulationis perenniter maneat. Quibus Patribus placuit constitutio Justiniani relata in l. ult. Cod. de rapt. virg. juxta quam juris civilis, & canonici distinctionem, nec non canonum generalium, & provincialium differentiam accipiendi sunt textus supra pro dubitandi ratione adducti. Novissimè in Concilio Trid. sess. 24. c. 6. decernitur, non consistere matrimonium inter ra-


ptorem & raptam nisi ea ponatur in loco tuto extra potestatem raptoris. Quod decretum non procedit in femina rapiente virum, quia lex Synodalis solum loquitur de raptore, & rapta. Ita docent Sanchez lib. 7. de matrim. disput. 12. num. 25. Farin. in praxi, quest. 145. num. 45. Bonac. quest. 4. de matrim. punct. 18. etsi contrarium teneant Henriquez lib. 12. summe, cap. 14. num. 4. Gutierrez de matrim. cap. 88. Similiter si quis rapiat feminam volentem & consentientem raptui, etsi postea renuat, Lessius lib. 4. de just. cap. 3. dub. 9. num. 70. Martinus Perez de matrim. disput. 38. sect. 4. etsi contrarium teneant Sà verbo Matrimonium, num. 9. Toletus lib. 7. summe, cap. 18. Candidus disquisit. 28. art. 14. dub. 2. Similiter decretum illud locum non habet, si quis rapiat sponsam suam de futuro. Sanchez. supra num. 5. alia plura de hoc crimine cumularunt Sesse, & Ansaldu ubi supra.

TITULUS XVIII.

De furtis.

CAPUT I.

In^a Exodo.


Ui furatur^b hominem, & vendiderit eum, convictus noxæ morte moriatur.

NOTÆ.

^a Exodo. Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 1. & verba hæc reperiuntur in cap. 21. Exodi. Ad hujus inscriptionis illustrationem repetenda sunt quæ adduxi in cap. 1. supra, de adulteriis.

^b Hominem. liberum videlicet; nam servus in jure homo non dicitur, siquidem quadrupedibus æquiparatur, l. Ediles 38. §. 1. & 2. ff. de edilit. edict. l. illud 40. ff. de petit. heredit. Artemidorus lib. 1. Onecirocriticon, cap. 39. Canis, aut equi, aut asini, aut alicujus aliorum quadrupedum, aut volucrum caput pro suo habere sibi videri, si quidem quadrupedis fuerit, servitutem, & ærumnas significat. Illustrat D. Joannes Suarez ad leg. Aquil. lib. 1. cap. 3.

COMMENTARIUM.

^{2.} X hoc textu sequens communiter venit disputanda assertio: Qui furatur hominem, & vendit, ultimo supplicio afficiendus est. Probant eam textus in cap. 24. Deuteronom. ibi: Si deprehensus fuerit homo sollicitans fratrem suum de filiis Israel, & vendit eo acceperit pretium, interficietur, ut auferas malum de medio tui. Concil. Palentin anno 1322. Execrabilem querundam Christianorum abusum, quo nonnulli Christianos rapiunt, vel surantur, & eos Sarracenis vendunt, aut aliò quomodocumque trahunt, abhorrentes, statuisimus, ut nullus Christianus predicta exercere audeat. Et l. lege, l. frequens, l. final.

ff. ad leg. Flavianam de plag. l. final. Cod. eod. tit. §. antepenult. Instit. de public. jud. Faciunt de jure Regio textus in l. 1. & 2. tit. 14. lib. 4. l. 1. & 2. tit. 3. lib. 7. fori. l. 22. tit. 14. partit. 7. l. 30. styli. Illustrant Connanus lib. 1. comment. c. 9. num. 10. Corrafius in l. congruit, num. 9. ff. de officio Presid. Balduinus, Pichardus & alii Institutiarii in dict. §. antepenult. Pitheus in collat. legum Mosaic. tit. 14. Petrus Greg. lib. 4. partit. tit. 10. cap. 8. & lib. 36. syntag. c. 31. Mancinus de triplici jur. collat. Duarenus lib. 2. disp. cap. 20. Solorzanus tom. 2. de jure Indiar. lib. 2. c. 7. Salmut. ad Panciroli. lib. 1. tit. 3. D. Nicolaus de Castro in l. unico Cod. de gladiat. n. 7. Antonius Matthæus de crimin. ad lib. 48. Pandect. tit. 12.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo. Homo liber naturali ratione, & jure à commercio exemptus est, l. in exemptione 36. §. omnium 1. de contrahend. emptio. ut rectè docuit Cujac. in l. 4. eod. tit. Abhorret enim à naturali hominum dignitate, ut sit homo meræ alterius hominis permuteturque alius mercibus, aut comparetur pecuniâ is, cujus gratiâ pecunia inventa fuit, cæteraque fuerunt comparata, quæ humanis usibus possunt deservire, ut in simili casu Consulti loquuntur in l. 68. de usufructu, l. in pecudum 28. de usuris, l. justissime 44. de edilit. edicto, §. in pecudum, Instit. de rer. divis. Cicero enim ex sententia Chryssippi Stoici sapientiæ Principis agnovit hominum causâ omnia nata fuisse, lib. 3. de finibus: & Ovidius ingeniosè lib. 1. Metamorph. versu 76. cecinit, natum hominem fuisse ut posset inter cætera dominari: & Divinus Vates Psalm. 8.

^{3.} Impugnatur tradita assertio.

mo 8. versu 8. & 9. omnia subiecta esse illius pedibus. Quod expressit rectè, & cum dignitate verborum, ex nuperis Florentinus Elconohovius *emblem. 1. morali*, ibi: *Ad hoc illud cœleste animal sumus, quod divina in terris providentia quandam quasi representat in se imaginem, sagaces, multiplices, acuti, memores, pleni rationis, & consilii, denig, præclarâ quadam conditione generati, nimirum ut ceteris animalibus imperemus.* Hactenus ille. Unde & natos esse homines liberrimos, & ut animantia subijciant, ipsi verò nulli subijciantur, philosophatur Jacob. Vander. Græcius *de jure publico, ad legem non dubito, de captivis, cap. 6. ex num. 1.* Efficit ergo, ne homo liber commercio subijciatur humanæ dignitatis conditio, quam ex multis utriusque eruditionis testimoniis extollunt Vazquez *Menchaca lib. 2. Illustrium, cap. 82. n. 13. Amaya lib. 3. obser. cap. 1. §. 1. num. 3. & sequent.* Carranza *in sua erudita disput. de partu, cap. 3. ex num. 2.* & Amicus meus D. Martinus de Saravia *in disp. de humanâ natura dignitate, nu. 3. & 11.* aliis laudatis. Ex his constat hominem liberum vendi non posse, *l. bona 22. §. 1. ad S. C. Vellejanum. l. sed Celsus 6. l. si cui emptio 34. §. 1. de contrahend. emptio. l. continuus 137. §. cum quis 6. hoc tit. nec in stipulationem deduci, l. 1. §. id quod, de oblig. & action. l. liber homo 130. §. idem juris 2. Instit. de inutil. continuus 137. cum quis, hoc. tit. nec possideri, l. si quis liberum 20. de probat. l. cum hæredes 2. §. ult. l. uniuersa, §. 1. de acquir. possess. nec usufruipi, l. usufruptionem 9. de usufru. §. sed aliquando, instit. eod. tit. l. ult. Cod. de longi temporis præscrip. quæ pro libertate, nec inter hæres dividi, l. quadam 4. ff. fam. l. eriscund. l. ult. de jure patron. nec vindicari, l. 1. §. per hanc, de rei vindicat. nec pignori conventionaliter obligari, l. 1. de patribus qui fil. distraxerunt, l. ob es alienum, C. de oblig. & action. l. per filios 6. Cod. quæ respignori, cap. 2. extra de pign. Eademque ratione dicitur corpus liberum nullam æstimationem recipere, quia nec pretium capit, l. 1. §. sed cum homo, l. ult. ff. de his qui deiecerunt, vel effuderunt, l. 3. ff. si quadrupes fecisse pauperiem dicatur, l. 2. §. cum in eadem, ff. ad leg. Rhodiam de jactu. Ergo malè in præfenti docetur, in hominem liberum furtum cedere, & ipsium vendi posse, præcipuè cum ad furtum committendum necesse sit, ut res contrectetur invito domino: sed nullus est dominus liberi hominis, quo invito ipse contrectari possit: ergo in eo furtum dari non valet. Deinde etsi admitteremus furtum dari propriè in homine libero, non ideo pœna mortis imponenda erat eo casu: tum quia pro furto etiam manifesto pœna capitalis non imponitur, ut dicemus infra *in cap. final.* tum quia Ecclesia nunquam consuevit pœnam mortis infligere, *cap. inter 6. 33. qu. 2.* ibi: *Gladium non habet, sed vivificat.* Textus ab specie *in cap. ex litteris, de excess. Pralat.* probavi *in cap. sententiam, ne clericis vel monachi.* Ergo non rectè in præfenti imponitur ultimum supplicium pro furto liberi hominis, seu plagio. Augetur hæc difficultas *ex cap. in Archiepiscopatu, de raptoribus*, ubi cum agatur de Sarracenis, qui mulieres Christianas, & pueros rapiebant, eis abuterentur, statuit Alexander III. eos pecuniâ esse mulctandos, aut verberibus afficiendos, eâ moderatione adhibita, ut flagella in vindictam sanguinis non transeant, aliàs si ita gravis excessus fuerit, ut mors, vel membri mutilatio sequi debeat, talis vindicta regia potestati reservetur. Igitur quia ob furtum liberi hominis non potest pœna capitalis iniungi.*

Quâ dubitandi ratione non obstante, vera est præfens assertio, pro cuius expositione sciendum est, furti nomen alios deducere à fraude, alios à ferendo; alios tandem à furvo, sive nigro, eo quod per obscuras noctes opportuna sit ejus delicti perpetratio, ut inquit Nonius ex Varrone *lib. 4.* & ad eam alludens Nazianzenus *orat. 40.* impudicitiae opera appellavit noctis furta, quod furtive, & in obscuro admittantur. Alii tandem à Græca voce *fora*, furtum dictum esse contendunt, ut constat *ex l. 1. ff. de furtis, Instit. de obligat. quæ ex delict. Gel. lib. 1. noctium, cap. 18.* Illustrant Bonif. & Farinac. *in tract. de furtis*, Antonius Matthæus *de crimin. ad tit. ff. de furtis.* Definuitur autem à Theologis cum D. Thoma *22. quest. 66. ar. 3.* Occultare rei aliena invito domino acceptio. A Jureconsultis verò *in l. 1. §. final. ff. de furtis, & in §. 1. Instit. de obligat. quæ ex delicto*, dicitur *Contrahatio fraudulosa rei aliena invito domino lucri faciendâ causâ, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus, possessionisve, quod lege naturali prohibitum est admittere.* Quæ definitio cum priori sancti Thomæ convenit, & quamvis paulò longior videatur, furti tamen naturam, tum ejus omnes causas continet. Eam fusè & doctè explicant novissimè Gibalinus *tom. 2. de negot. cap. 9. art. 1. D.* Josephus de Retes *lib. 7. opuscul. cap. 2.* Antonius Matthæus *de crimin. ad tit. de furt.* Dividitur autem ratione temporis in diurnum, & nocturnum, ut probavi *in c. 2. de homicid. & ratione loci, nam si in balneis, aut aliis locis publicis admittatur, maximum censetur ab Aristotele in problem. sect. 8. quæst. 14.* De furibus balneariis agunt Langleus *lib. 3. semestr. cap. 2.* Pancirola *lib. 2. var. cap. 119.* Ant. Matthæus *ad eandem tit.* Item si fiat in loco sacro, etiam rei quæ sacra non est, sacrilegium committitur, ut probavi *in cap. 20. de foro compet.* Etiam dividitur furtum ratione objecti, sive rei, quæ surripitur, in varias species, veluti si pecora subtrahantur, quod dicitur abigeatus, *l. 1. ff. de abigeis*, ubi Ant. Matthæus, Langleus *lib. 3. semestr. cap. 1.* Mancinus de tripliciter *jur. collat. cap. 86.* si res publica auferatur, dicitur peculatus, *l. 1. ff. ad leg. Jul. pecul.* ubi plura Ant. Matthæus. Ad quam furti speciem spectant textus *in l. 9. ff. ad leg. Corn. de falsis, l. 7. Cod. de jurefisci, l. 2. C. ex quibus causis infam.* Tandem si homo liber surripiatur, dicitur plagium, de quo in præfenti agendum est.

Furtum ergo liberi hominis dicitur plagium, *l. 1. §. penult. l. ult. ff. ad leg. Flavianam de plag. l. quoniam, l. si quis servo 12. l. penult. Cod. eod. tit. l. 12. C. de ingenuis:* & ita appellatum est hoc delictum juxta D. Ifidorum relatum ab Alciao *lib. 1. parerg. c. 47.* à Græca voce *plagios*, quæ non solum transversè, seu obliquè, verum etiam dolosè sonat: inde plagiarum dicti, qui dolosè homines supprimunt: & eosdem à veteribus Lavernas dictos, notavit Cujac. *ad tit. Cod. de lege Flavia.* Inde etiam translata est metaphora ad crimen plagii. His quoque jungendi, qui alienos filios mentales, libros inquam ab aliis compositos, sibi supponunt per furtum, quod plagii pœnâ notari voluit Ptolom. apud Theoph. *tom. 4. de vit. l. 3. sect. 3. c. 6.* De plagio leges Cornelia & Flavia latae fuerunt. Corneliae meminit Apuleius *lib. 8. metamorph. ibi: Crimen Corneliae legis incurram, sicutem Romanum pro servo vendidero.* Ubi per legem Cornelianam nec illa, quæ de sicariis, nec quæ de falsis, sed quæ de plagio lata est, necessariò intelligi debet, quoniam venditio civis Romani plagium est, *dict. l. ad mandatum*

tandum 12. Cod. de ingen. manumiss. l. 2. C. ubi de crim. Legis Flavia meminit Cicero pro Roscio Amerino, ibi: De servis alienis contra legem Flaviam reventis plura dicenda sunt. Et in eadem lege alia de servorum manumissione statuta essent, ut constat ex l. 1. § per tot. D. & Cod. ad leg. Flaviam: de qua lege accipiendus est Marcell. in l. si a milite 29. §. 1. ff. de testam. milit. pœna hujus delicti apud Athenienses capitalis fuit, ut constat ex Xenophonte: probat Peritus ad jus Atticum lib. 6 tit. 5. Jure civili pœna pecuniaria olim fuit, sed ea exolescente pro delicti modo animadverti cœpit, & plerumque quidem in metallum plagiarum dabatur, l. ult. ff. ad leg. Flaviam. Ex constitutione verò Diocletiani, necnon Constantini ultimo supplicio afficiuntur, l. 7. §. ult. Cod. eod. tit. in qua Constantini constitutione pro teneatur, legendum esse tenebatur, ut habetur in l. unic. Cod. Theodof. ad leg. Flaviam de plag. docuerunt Duarenus lib. 2. disp. cap. 20. Solozanus de iure Indiar. lib. 2. cap. 7. Petrus Gregor. lib. 36. syntag. cap. 31. Castro in l. unic. Cod. de gladiat. nu. 7. l. Gothof. in dicit. l. unic. Jure nostro regio speciales pœnae statuta sunt in l. 1. §. 2. tit. 14. l. 1. tit. 15. lib. 4. fori l. 22. tit. 14. part. 7. nec solum procedit, & committitur quando quis surripuit hominem, & vendit, verum & quando donavit, & permuravit, vel in dotem dedit, l. 4. ff. ad leg. Flaviam: & in presenti textu verbo Vendiderit, omnis contractus comprehenditur, argumento legis statuliberi, §. Quintus. ff. de statulib. Et cum hac actione concurrat interdictum de libero hom. exhib. Nec alterum judicium alterum consumit, quod regulare est, l. unic. C. quando civil. act. Paulus lib. 5. sen. §. adversus 14. ubi Cujacius.

7. His suppositis ratio presentis assertionis provenit ex gravitate hujus delicti; nam res ipsa surreptitæ grave furtum constituit, veluti si res sacra, cetera aut religiosa interceptiatur, l. 5. §. 9. ff. ad leg. Int. pecul. cum quis pecudes abegit, l. 1. §. ult. ff. de abigis, cum quis ex araribus furatus est vomeres, aut quid aliud ad agriculturam pertinens, ex constitutione Frider. II. de statu & consuet. §. agricultores. Et generaliter quoties res ablata magni fuit pretii, l. sacrilegii 6. in princip. ff. ad leg. Int. pecul. l. 4. §. 1. ff. de incendi. §. ruina, l. si quis 31. §. ult. ff. de excusat. tutor. l. aut facta 16. §. quantitas ff. de pœnis, l. 1.

§. sed & qui porcam. ff. de abigis quare & qui liberos homines interceptit, aut suppreffit, plagium committit, & ob tanti sceleris atrocitatem ultimo supplicio afficitur: sed si qui hominem liberum subduxit, non lucri faciendi animo fecit, nec illum alienavit, sed penes se detinuit, ex plagio non tenetur, ut in casibus relatis & decisus in cap. 2. de presump. cap. dilecti de ordin. cognit. cap. unic. de injuriis, lib. 6.

Nec obstat dubitandi ratio supra expensa, nam licet verum sit, rem alienam esse oportere, ut furtum committatur, dicit. l. 1. & rem alicujus propriam esse ut surripiatur, l. rellè 25. ff. de V. S. tamen cum de furto agimus, rem alienam longiori modo accipimus, & rem, quæ in commercio non est, ut est homo liber; non enim tam significamus rem subreptam esse alterius, quam subripientis non esse propriam, ut ait Ofwaldus lib. 5. comment. cap. 29. litera S. Vel ut voluit Donel. lib. 15. comment. cap. 30. in princip. alienam rem dicimus, cujus modò potestas aliena est: unde si quis filium familias, filiamve subripuerit, furti actione tenetur, l. cum quis, §. cum filius, l. filius 37. l. mater 38. ff. de furtis, §. interdum. Inst. de obligat. qua ex delicto nascuntur. Nec obstat secunda difficultas, pro cuius solutione aliqui asseruerunt, verba illa moriatur, non de morte naturali, sed de morte civili, hoc est excommunicatione, esse accipienda: nam in jure nostro canonico per mortem excommunicationem accipimus, cap. venerabilem, qui filii sint legitimi: ubi Innocent. referens legem antiquam mortem corporalem inferentem, intelligit, quoad judicem ecclesiasticum de excommunicationis sententia; & sic intelligunt DD. textus in cap. 10. de usur. cap. 2. de majoris. & obed. secundum Abbatem, & Ananiam ibi. Sed verius est in presenti legem ecclesiasticam non condi, sed tantum transferri verba legis antiquæ: unde ea referenda sunt ad iudices sæculares, non verò ad ecclesiasticos, ut contingebat in lege antiqua. Compilata autem fuerunt hæc verba in jure Canonico, ut agnoscant iudices ecclesiastici, quàm acriter punire debent eos, qui plagium admittunt, sed pœnis ecclesiasticis, ita ut ad effusionem sanguinis non perveniant, ut notavi in cap. sententiam, ne clerici vel monachi.

8. Dissoluitur dubitandi ratio.

CAPUT II.

Ex Concilio^a Triburiensi.

Fures, & latrones, si in furando, & depraedando occiduntur, visum est pro eis non orandum: si comprehensi, aut vulnerati presbytero, vel diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus.

NOTÆ.

1. **T**riburiensi. Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. c. 4. & ex ipso Concilio citantur hunc Burchardus lib. II. Decreti, cap. 59. Carnot. part. 14. Decreti, cap. 123. Gratianus in cap. fures 13. quaest. 2. & in ipso Concilio Triburiensi anni 845. can. 31. ita legitur: Si inventus fuerit quis furtum, aut rapinam exercere, & in ipso delicto aliu mortem meretur incurrere, nullus pro eo presumat orare aut elemosinam dare; & elemosyna pro eo data in memoriam nec clericorum, nec pauperum veniat, sed execrabilis sordescat. B. Au-

gustinus de talibus horribilem profert sententiam dicens. Nemo te post mortem tuam fideliter redimit, qui atus te redimere noluit. Refert Ant. Augustin. in epist. lib. 27. tit. 3. cap. 6. apud Carnotensem autem dicit. cap. 123. ita plenior constitutio refertur: Tranquillitatem sanctæ Dei Ecclesie inquietari, & pacem fraternam infestari restantur fures, & latrones, qui ambulantes inter nos ovina pelle obumbrati, sed lupina mente recedunt alienati, serua mente res Ecclesiarum adducti rapientes, & gregem Domini cum spoliando lacerantes. De quibus Salvator in Evangelio commemorat: Qui non intrat per ostium in ovile ovium, ille fur est, & latro. Atque subiunxit: Fur non

non venit nisi ut furetur, & mactet, & perdat. Ubi quamvis hereticos, qui fidem furantur Ecclesie, designet, tamen insequuntur furum & latronum turbam monstrat pacem Ecclesiarum. De talibus Apostolus ad Philip. Videte canes, videte malos operarios. Canes vocavit, qui non habent verediam, malos operarios, qui nulla faciunt quietati conveniunt. Et Dominus per Isaiam Prophetam: Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam. Unde nos, quae Dominus diligit diligentes, & quae odit odio habentes, statimimus, & iudicamus, ut si quis post haec Evangelia, & Apostolica, atque Prophetica verba, & diffinitionem pacatissime Synodi inventus fuerit furtum, aut rapinam exercere, & in ipso diabolico actu mortem mereatur incurrere, nullus pro eo presumat orare aut eleemosynam dare; & eleemofyna pro eo data, in memoriam clericorum, nec pauperum veniat, sed execrabilis sordescat. B. Augustinus de talibus horribilem profert sententiam dicens: Nemo te post mortem tuam fideliter redimit, quia tu tere dimitte noluisse. Si autem ille fur, vel latro vulneratus elabitur, & expectatione mortis desperatus putatur, atque reconciliare se mysteriis sacrosanctis habitu corporis, & voluntate pia mentis deprecatur, Deoque & sacerdoti vitam comite emendationem, & actum confitetur, communionis gratiam non negamus tribuendam.

2. b. Fures & latrones.) Verba haec ut diversa ponuntur, aliis superfluo iterarentur, l. si idem, C. de codicill. Nam dictio, & inter diversa poni consuevit, iuxta rubricam, & Glossam ibi, ff. de jur. & facti ignor. quo modo etiam accipi debet textus in cap. 2. de homicid. ibi: Interfecisti furem & latronem. Sed quae sit differentia inter furem, & latronem, examinant DD. hic, quibus communiter placuit, furem dici, qui nocte; latronem, qui die furtum committit. Consentit Socinus in d. cap. 2. de homicid. Bartolus in aurb. sed novo, C. de servis fugit. Sed verior ratio est, quod fur dicatur ille, qui domum aggreditur cum armis, & sine eis, ut docent Abbas & Ananias hic; suadetque ex dicta authentica sed novo jure, ubi notavit Castrensis num. 10. latro verò, qui aggreditur cum armis in domibus degentes, aut viatores. Farinac. in praxi, quest. 116. qui rectè inde docent, quod latro per vim furatur, fur sine vi: unde in illis verbis nostris textus, comprehensus, aut vulneratus, primum ad fures, secundum ad latrones referri debet.

c. Visum est.) Formulam hanc Concilii exposui in apparatu ad haec commentaria.

3. d. Presbytero, vel Diacono.) Sed potestas injungendi poenitentiam, & audiendi confessiones tantum competit Sacerdotibus, cap. verbum 51. de poenit. dist. 1. cap. omnis, de poenit. & remiss. Trid. sess. 14. de poenit. c. 10. non verò Diacono, qui potestatem clavium Ecclesiae non habet cap. bene quidem, ubi gloss. verbo Propter 95. dist. Ergo non poterat in presenti casu fur, aut latro confiteri peccata Diacono. Cui difficultati ut aliqui satisfaciant, asserunt verbum illud Diacono, non esse authenticum; siquidem non reperitur apud Gratianum in dist. c. fures: immò nec in ipso Concilio, nec apud Carnot. & ideo vocem illam delendam esse putavit Ant. Augustin. in notis ad 1. collect. Decret. in presenti. Sed omisâ hac solutione, & aliis traditis à Glossa & Abbate in presenti. Soc. in 4. dist. 8. qu. 4. art. 1. & Batilius de imped. matrim. c. 35. in parvis, existimant presentem textum accipiendum esse de

eo, qui erat in poenitentia solenni, cujus reconciliatio, absente Sacerdote ad Diaconum spectabat, & sic de solenni reconciliatio, non de sacramentali absolutione, textum hunc esse accipiendum: quam solutionem sequitur etiam Barbosa in cap. verbum, 51. de poenit. dist. 1. ut iuxta eam accipiendus sit D. Cyprianus episc. 13. ubi Sanctus reconciliationem aegris committit Diacono: & notavi jam in can. 77. Concilio Illiber. Sed haec doctrina licet vera sit, tamen praesenti canonì minime adaptatur: quare eâ omisâ verius credo, illa verba: Presbytero, vel Diacono confessi fuerint, significare quod si fures, & latrones antequam decedant, comprehensi, vel vulnerati dederint signa poenitentiae coram Presbytero, vel Diacono ad communionem admittantur, ita ut Presbyter, vel Diaconus, non tanquam absolutionem impendentem, & confessionem audientes, sed tanquam testes signorum poenitentiae adfuerint: & tunc verum est illis non denegari communionem, quam non accipio de Eucharistia, sed de communione ecclesiastica, iuxta quam & oratur pro mortuis, & offertur sacrificium iuxta illud: Cui communicamus vivo, & communicemus defuncto; ut in c. facris, ubi probavi, de sepultur. Quae interpretatio suadetur ex priori hujus textus parte relata à Carnotensi supra, ubi proponunt PP. duo illa hominum genera, videlicet eos, qui in crimine comprehensi occiduntur, nullis poenitentiae signis datis; & eos, qui signis exhibitis decedunt: illis negant communionem, oblationem, & orationem. Ergo eandem concedunt istis per illa verba: Communionem eis non negamus. Sed antequam hinc abeamus, exponendi sunt textus in cap. 1. de poenit. dist. 6. in illis verbis: Tanta est vis poenitentiae, ut si deest sacerdos, confiteatur laico. Et in c. sanctum, de consecr. dist. 4. in quibus doceri videtur, deficientem sacerdotem posse peccata confiteri laico; nam textus illi non sunt accipiendi de confessione sacramentali, sed de confessione peccatorum facta coram laico, non ad assequendum sacramentum, sed ad promerendas alias utilitates, videlicet ad majorem verediam, humilitatem, & ruborem, ad contritionem perfectam eliciendam, ut docuerunt Martha de juris dist. part. 2. cap. 14. Covar. in cap. alma, 1. part. §. 11. num. 9. de sent. excom. in 6. Haerphite nus in vita S. Bened. prolog. 18. §. 10. Balboa in cap. omnis, num. 69. de poenit. & remiss. nisi textus illos accipiamus iuxta veterem usum, secundum quem laici in extrema necessitate, ingruente videlicet morte, nec suppetente confessorio sacerdote, excipiebant confessionem, & absolutionem impendebant: cujus usus meminerunt Gerson. in compend. Theolog. tit. de confessione special. Navarius in Enchir. cap. 21. num. 41. & in cap. 1. de poenit. dist. 6. n. 76. Theoph. tom. 16. in Heteroch. spirit. punct. 9. in princip. Ex qua doctrina Nebileus in vita S. Ludovici cap. 45. fatetur Guidonem de Bellon. Regni Cyprì Equitum Magistrum, in extremo vitae discrimine ipsi lonuilla fecisse hexomologesim, & peccata sua confessum, absolutionem eorum donatum esse. Idem fecerunt in summa procella quidam piratae, de quibus Gaufrid. Grol. in vita S. Bernardi Tyron. cap. 16. Nihilominus tempestatis perseverante savicia, timoris vehementia exagitati, peccata sua, quae turpiter gesserant, turpius in audientia cunctarum confitendo propalare incepisse, sacerdotale sibi officium usurpantes, dum poenitentias alternatim & dant, & accipiunt. Idem de latrone Tridentino refert Casarius lib. 7. cap. 58.

COMMEN-

COMMENTARIUM.

4. **Ex** hoc canone sequens communiter deducitur assertio: *pro furibus, & latronibus in flagranti crimine occisis non orat Ecclesia: si vero in morte peccata confiteantur, communionem illis non denegat.* Probat eam textus in cap. pro obeuntibus 13. *quest. 2. cap. placuit 23. quest. 5. cap. si quis, de penit. dist. 4. cap. quicumque 23. quest. 8. cap. 1. de reliquiis & venerat. Sanctor. cap. 1. de torneam. cap. quia in omnibus, de usur. c. super eo, de raptor. Proverb. cap. 11. ibi: Mortuo impio nulla erit ultra spes. Illustrant Sotus in 4. dist. 45. q. 2. art. 2. Bellarm. de Purg. lib. 2. cap. 18. Azor. 1. part. moral. tit. 10. c. 22. q. 60. & lib. 9. cap. 11. q. 2. plures Barbosa de offic. parochi cap. 2. 6. num. 49. Petrus Gregor. lib. 4. partit. tit. 10. cap. 8. Murga tom. 2. disquisit. 20. dub. 2.*

5. **Sed** hæc assertio difficilis valde redditur ex sequenti consideratione; nam fures, & latrones, etsi in ipso depradandi actu decedant, possunt habere perfectam contritionem, ita ut remissionem illius peccati, & aliorum à Deo consequantur. Ergo interim dum contrarium non apparet, pro eis orari debet, præcipuè cum Ecclesia non iudicet de occultis, *cap. sicut tuis 33. in fine, & sequent. de simonia, cap. erubescant, 32. dist.* Augetur hæc difficultas ex eo, quia orare pro peccatoribus etiam damnatis prohibitum omnino non videtur; siquidem legimus D. Gregorium orasse pro Imperatore Trajano, Gentili, & sine baptismo decedente, ut constat ex Trajani historia, quam receperunt, & probarunt Div. Thomas in *tract. de verit. quest. 6. art. 6. ad 4. Navarr. in tract. de oration. cap. 12. F. Alphonsus Carrera in tract. de observat. Trajani*, plures congesti à Barbosa in *c. cum Martha, de celebrat. Missar.* Accedit usus Ecclesiæ, quæ orare videtur pro damnatis, dum in Missa Defunctorum ait: *Libera animas omnium fidelium defunctorum de penis inferni, de ore leonis: ne absorbeat eas tartarus, &c.* quæ precandi formulâ pro damnatis orat Ecclesia; nam ipsi sunt quibus imminet illa mala profundi lacu, tartari, & leonis tartare. Et quid est quod Ecclesia passim orat, *A porta inferi, erue Domine animas eorum?* Sanè istæ portæ nihil aliud sunt, quam infernæ, & diabolicæ potestates, de quibus dicitur *cap. 16. Matthæi: Et porta inferorum non prevalebunt adversus eam.* Ergo non rectè in præfenti docetur, pro furibus, & latronibus decedentibus in ipsa depradatione orandum non esse.

6. **Quæ** dubitandi ratione non obstante vera est præfens assertio, cuius ratio provenit ex eo, nam pro eis, quos in peccato mortali decessisse constat, non orat Ecclesia, nec permittit pro eis preces efundi, *cap. placuit 23. quest. 5. cap. pro obeuntibus 13. quest. 2. cap. Cyprianus 22. quest. 3. cap. pro delicto, 95. de penit. dist. 2.* Sed fures & latrones in ipso actu depradandi occisos in peccato decedere notum est. Ergo rectè in præfenti docetur, pro eis tanquam in statu damnationis decedentibus orandum non esse, præcipuè cum dicat Paulus 2. ad Corinthios, *fures non possidebunt regnum Dei.* Consequens etiam est, ut pro eis elemosinæ, aut oblationes non recipiantur, nec nomina eorum ad altare possint offerri, seu recitari, juxta tradita in canone 29. Concilii Illibert. Sed si tales fures, & latrones in ipso ultimo vitæ spiritu signa contritionis dederint, quæ non præsumuntur ex quo manifestè constat de peccato præcedente, & ideo oportet, quod per aliqua signa exteriora de ipsa contritione constet; tunc non denegat Ecclesia eis communionem, nec suffragia, aut ecclesiasticam sepulturam, *cap. à nobis 28. de sent. ex comm. cap. si quis 2. & 4. de peniten. dist. 4.* quia Ecclesia nulli etiam in extremis posito claudit gremium, *cap. super eo, de hæreticis in 6.* Unde rectè in præfenti assertitur, furibus, aut latronibus signa penitentia exhibentibus, coram Presbytero, aut Diacono penitentiam non esse denegandam, cum redierint ad Ecclesiam per penitentiam.

7. **Nec** obstat dubitandi ratio supra adducta; nam in præfenti casu Ecclesia iudicium non profert contra furem de occultis, sed de apertis, & quæ ad sensum externum patent, veluti de furtis, & prædationibus; quinimodò si de contritione furis iudicaret, tunc de occultis sententiam diceret, cum furis peccatum videat, contritionem non videat. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis, nam omisâ quaestione, an prædicta Trajani historia vera sit, quam post Baronium, & alios historicos disputant relati à Barbosa in *dict. cap. cum Martha*, sciendum est, pro damnatis orandum non esse, cum vivorum preces, & suffragia nihil prorsus emolumenti, solatii, aut refrigerii damnatis afferre possent, ut pluribus sacra pagina auctoritatibus, & Sanctorum Patrum testimoniis probat Alphonsus à Mendoza *quest. 5. scholastic. per totum.* tamen quoties jure speciali contrarium à Deo conceditur, orare pro eis potest; nam licet generalis illa lex nullam dispensationem admitat, ut docet Suarez *part. 3. in 3. part. disput. 44. sect. 3.* nihilominus potest Deus gratiam particularem, quibus sibi placuerit, facere; & ideo frequenter aliquibus concessit, ut liceret pro eis mortuis, & damnatis orare, ut ad vitam hanc miraculose reverterentur, & salvarentur, ut ex mente sanctorum Augustini, Thomæ, & aliorum notavit Navarrus *de orat. p. 22. num. 44.* & defendunt Bellarminus *lib. 2. de Purgat. cap. 8. Castro adversus hæreses, verbo Infernum, num. 2.* Nec obstat quod de usu Ecclesiæ expendebamus; nam Ecclesia in his preceationibus non orat nisi pro in purgatorio existentibus, qui infernus dicitur, & tartarus non improprie appellatur, ut explicat Henriquez in *summa, lib. 9. cap. 16. §. 2. Sotus in 4. dist. 45. quest. 2. art. 2. Azor. 1. part. instit. cap. 22. quest. 8. Fagundes in Eccles. præcept. lib. 3. cap. 8. n. 6. Bellarm. dict. lib. 2. de Purgat. cap. 1. Mendoza d. quest. 6. scholastica, cap. 3.* quo modo etiam stygis, tartari, stagni, carceris sulphuris nomine, non infernum damnatorum, sed locum purgatorii designavit Prudentius in *hymno de lumine Paschali*, dum refert in nocte resurrectionis Domini, quam totam olim fideles in orationibus peragebant, animas damnatorum vi suffragiorum quiescere à tormentis, ibi:

*Sunt & Spiritibus sæpe nocentibus
Pœnarum celebres sub styge feræ:
Illâ nocte sacer, quæ rediit Deus
Stagnis ad superos ex Acheronticis,
Marcent suppliciiis tartara mitibus
Exultatque sui carceris otio
Umbrarum populus liber ab ignibus,
Nec fatent solito sulphure flumina.*

Quem locum de existentibus in purgatorio accipit Mendoza *dict. quest. 6.* & similiter exponit sanctum Joannem Damascenum, qui in sermone *de mortuis adjuvandis*, refert quod cum sanctus

F f

Pater

Pater Macharius assidue pro mortuis deprecatur, & aliquando per viam incederet, caput cuiusdam mortui, qui fuerat Gentilis, locutum ei fuerat dicens: *Quando tu, o Machari, pro mortuis offers preces, nos interim aliquid lenimenti sentimus.* Et D. Chrysof. homil. 3, in epist. ad Philippen, dum ait: *lis, qui in divitiis mortui sunt, nec peccata sua diluerunt, prodesse orationes vivorum.*

8. Sed supra traditis obstat textus in c. tempus 23. Extensio 13. q. 2. ubi dum ait Augustinus de suffragiis, & orationibus pro defunctis factis, concludit: *Quibus autem profunt, ut sit plena remissio, aut certe ut tempus tolerabilior fiat ipsa damnatio.* Ex quibus verbis deduci videtur, etiam pro damnatis sacrificium Missæ offerri posse. Igitur etiam pro furibus, & latronibus in ipsa deprædatione decedentibus orare licet. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, Augustinum ibi non agere de damnatis in inferno, sed potius de existentibus in purgatorio, quibus sacrificia oblata prodesse affirmat, ut sit plena remissio, vel tolerabilior ipsa damnatio, hoc est punitio. Nec obstat si dicas, verba illa, *ut tolerabilior fiat*, ad valde malos referri debere, de quibus proximè D. Augustin. locutus fuerat. Nam veriùs est referenda esse ad non valde malos, quos constat esse in purgatorio detentos: nec Augustinus in eis verbis probat sacrificia valde malis prodesse, ut aliqui suo tempore existimabant; sed potius docet, illis quibus sacrificia profunt, aut ad hoc prodesse, ut plena fiat remissio, aut ut tolerabilior fiat damnatio: & cum valde malis sacrificia non profint, nec ad unum, nec ad alterum prodesse valent. Eadem interpretatione accipiendus est textus in cap. cum Marthe de

celebr. Missar. in illis verbis, *pro mediocriter malis.* In quibus doceri videtur, sacrificia pro malis offerri posse. Nam ea verba referenda sunt ad fideles in purgatorio existentes. Distinguntur autem in eo textu mediocriter mali à mediocriter bonis, qui nullum habent mortalium, vel venialium reatum, sed solum pœnæ temporalis: at verò mediocriter mali sunt, qui non solum habent reatum illum, sed etiam veniales culpas expurgandas, ut explicant Durantius *de ritibus eccles. lib. 2. cap. 23.* Bellarmin. *ubi supra.* Azor. *1. part. instit. moral. lib. 9. cap. 31. & lib. 10. cap. 22. q. 6.*

Etiam supra tradita assertioni obstat textus in canone 15. Concil. Aurel. 2. in illis verbis: *Oblationes defunctorum, qui in aliquo crimine fuerint interempti, recipi debere censemus; si tamen non ipsi sibi mortem probentur propriis manibus intulisse.* Ex quibus deducitur recipi posse oblationes etiam pro illis defunctis, qui in ipso crimine fuerint interempti. Igitur & pro furibus, & latronibus, qui in furto, aut deprædatione fuerint occisi, orari valet. Pro cuius textus expositione dicendum est, defunctos, de quibus in eo canone, pœnitentiam petiisse, & accepisse, & ita oblationem pro eis admitti; aliàs si pœnitentiam non petissent, etiam in ipso delicto, vel pro eo pœnam luendo occiderentur, oblationes pro eis non admitterentur: quo casu procedit textus in cap. placuit 23. q. 2. ibi: *Similiter & eis placuit fieri, qui pro suis sceleribus puniuntur.* Undè cognoscitur, quam iniuste olim in Gallia negarentur Pœnitentia, & Eucharistia, ultimo supplicio destinatis, ut referunt Spondanus post Baronium anno 1397. num. 2. Theophil. tom. 16. in Heterocl. spirit. punct. 8.

CAPUT III.

Ex penitentiali^a Theodori.

SI quis pro necessitate furatus fuerit cibaria, vel vestem, vel pecus per famem, sicut per nuditatem, pœniteat^b hebdomadas tres. Si reddiderit, non cogatur jejuna.

NOTÆ.

I. ^a Theodori. Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 5. & in penitentiali Romano tit. 4. cap. 4. Theodorus hic fuit Archiepiscopus Cantuariensis, qui Penitentialia, seu peccantium judicia composuit, ut referunt Reginus in chron. anno Domini 676. his verbis: *Per id tempus Theodorus Archiepiscopus, & Hadrianus Abbas doctissimus à Vitelliano Papa missi sunt in Britanniam, plurimasque Ecclesias Anglorum doctrina Apostolica fruge fecundavere, è quibus Theodorus Archiepiscopus peccantium judicia, quantis scilicet annis pro unoquoque peccato quis pœnitere debeat, mirabili, & discreta consideratione describit.* Sigisbertus in chronicis, anno DC. LXVIII. *Theodorus Archiepiscopus, & Hadrianus Abbas à Vitelliano Papa in Angliam diriguntur anno DC. LXXIV. Theodorus in Anglia Synodo habitum constituit multa Ecclesie utilia. Hic Theodorus scripsit penitentialem librum, mirabili, & cautà discretionem distinguens modum singularum culparum.* Anno DCXC. Theodorus Archiepiscopus Anglorum obiit. Joannes Trithemius de Scriptor. Eccles. ibi: *Theodorus septimus Archiepiscopus*

Cantuarien. à Vitelliano Papa consecratus, natione Græcus, ex Tarso Cilicia, monachus Ordinis nostri in urbe Romana, vir in divinis scripturis eruditissimus, & in secularibus literis nulli suo tempore secundus, in Græco, & Latino sermone peritissimus, Carmine quoque excellens, & prosa, & non minus sanctitate, quam scientiâ clarus, habitum Synodo in Anglia, multa ad Anglicanæ Ecclesie utilitatem constituit. Scripsit autem inter cetera ingenii sui monumenta egregium opus de qualitate penitentia injungende, de his, qui in multis criminibus deliquissent; cuius operis titulus est, Penitentiale Theodori: & epistolas ad diversos. Moritur non sine opinione sanctitatis sub Iustiano minore Imperat. anno DCXC. ind. 3. ætatis 18. Episcopatus 22. Idem lib. 2. c. 18. de viris illustribus Ordinis sancti Bened. Theodorus monachus Romanus, natione Græcus à Vitelliano Papa septimus Archiepiscopus Cantuariensis in Anglia destinatus, vir in divinis scripturis valde eruditus, & in observantia Carbolica traditionis studiosissimus, habitum Synodo in Anglia multa ad utilitatem Ecclesie constituit, de cuius laude, sanctissimi quoque laboribus Beda in 4. & 5. Eccles. histor. pluries fecit mentionem

nem. Scripsit autem librum de penitentia qualitate notabilem, quem Gratianus Decreti compilator sepe allegat. Moritur anno Domini DCXC. ind. 3. aetate sua 88. Pontif. 22. Hic Theodorus primus videtur apud Latinos de penitentia scripsisse, quem sequutus est Beda, ejus fortasse discipulus. Sampsit penitentias Theodorus Græcus ex Basilio, & aliis Græcis Patribus; ita videtur eorum acerbiter, ac severitatem sequi, quæ res effecit, ut paulatim hæc ratio puniendi delicta abolita sit. Sed malè in contraria lapsi sumus, ut dum acerbiter potius hæc crimina impunitate darâ.

b Hebdomadada.) Et quot diebus in qualibet hebdomada debeat quis jejunare, expofuit in cap. accusati, de accusat.

COMMENTARIUM.

2. **E**X hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Committenti furtum ex necessitate levis penitentia est injungenda.* Probat eam textus in cap. 3. hoc tit. in 1. collect. ubi ex cap. 6. Proverb. ita legitur: *non grandis est culpa cum quis furatus fuerit; furatur enim, ut esurientem impleat animam.* Et cap. sicut is, 47. dist. cap. pasc. cap. non satis, 36. dist. cap. discipulos, de consecr. dist. 5. Penit. Romanum tit. 4. cap. 16. ibi: *Si fecisti furtum necessitatis causa, sic dico, ut non haberes unde vivere; & propter famis penuriam, & tantum furatus es victualia extra Ecclesiam, nec propter consuetudinem fecisti, redde quod tulisti, & sex ferias in pane & aqua peniteas. Si autè reddere non poteris, decem dies in pane & aqua peniteas.* D. Thomas 2. 2. q. 66. art. 7. Illustrant ultra congestos à Barbofa in præfenti, & à Cenedo ad Decretal. collect. 92. Fatnac. de furtis q. 174. num. 68. Tiraquel. de penit. temper. caus. 33. Petrus Gregor. lib. 4. partit. tit. 10. cap. 5. & 80. Mendoza lib. 2. Concil. Illiber. cap. 15. Mancinus lib. 1. de triplici jur. collat. cap. 106. num. 3. Bobadilla tom. 1. polit. lib. 3. cap. 3. numer. 23. Gutierrez lib. 1. canonic. cap. 23. num. 19. Acunna in cap. sicut 47. & in cap. 1. 48. dist. Diana p. 1. tract. 1. resol. 32. Forcatulus in penit. cap. 13. & final. Wefembach disput. 41. num. 4. Velascus de privi. pia caus. p. 1. q. 27. & p. 2. q. 65. Castillo de alimentis cap. 6.

3. **S**ed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: *Furtum probrum est à naturali, l. probrum. ff. de P. S. juri naturali contrarium, l. 2. §. final. ff. de furtis, §. furtum, instit. de obligat. quæ ex delict. lege divina prohibitum, Exod. cap. 20. Levit. cap. 18. D. Paulus ad Ephesos cap. 4.* Sed quæ jure naturali, aut divino prohibita sunt, non possunt ullâ aliâ lege permitti, cap. si quidam 25. quest. 1. cap. final. de consuet. l. eas, ff. de capit. minut. l. abdicatio, Cod. de patriâ potest. Ergo non rectè in præfenti permittitur furtum propter necessitatem. Augeatur difficultas ex eo, quoniam nullatenus ignoscendum est ei, qui obtentu paupertatis turpissimam vitam agit, leg. palam, §. non est, ff. de ritu nupt. & nulla ratione, nec etiam vitæ conservandæ, fas est peccare, potiusque famem, mortem, ac mala omnia debet quis pati, quam peccato consentire, cap. Lotharius 31. quest. 3. cap. sacris 5. de his qua vi, metusve, l. isti 8 §. penult. ff. de eo quod metus causâ. Plura Scaccia de commerciis 2. p. q. 7. §. 1. Faciunt Seneca epist. 77. ibi: *Omni a pro honesto patiendâ sunt.* Et lib. 6. de clamat. 7. ibi: *Mori potius debuit frater, quam falsâ.* D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

nari turpiter. Et lib. 1. de ira: *Abominandum remedi genus est, sanitatem debere morbo.* Seneca Tragicus in Medea, actu 3.

Remedia totiens invenit nobis Deus Periculis pejora.

Et in Oedippo actu 3.

Ubi turpis est medicina, sanari piget.

Fuitque Zenonis sententia, pro vita tuenda ab honesto non esse recedendum: cuius meminit Juvenal. satyr. 15.

— Melius nos

Zenonis præcepta monent, nec enim omnia quædam

Pro vita faciendâ putat.

Quintilianus declamat. 8. ait: *Non interest an supersti remedium, quod tentare non debeas; & ubi tantundem periculi spes, quantum desperatio habet: melior exitus est, qui facit miseris innocentes.* Ergo nec pro sublevandâ necessitate licet furtum committere. Deinde difficilis est, secundâ pars hujus textus, ubi assertur restituenti rem ablata ob necessitatem non esse ullam penitentiam injungendam, nam furi etiam post restitutionem rei ablata penitentia imponitur, cap. final. hoc tit. cap. si quis domum, de injuriis, cap. sicut dignum, §. eos, de homicid. & ab specie probatur ex d. c. 16. penit. Roman. Ergo non rectè in præfenti docetur post restitutionem furem cogendum esse jejunare.

4. **S**ed hac dubitandi ratione non obstante, vera est præfens assertio, cujus ratio provenit ex illo Tradi-vulgari principio, necessitas facit licitum quod aliâ erat illicitum, cap. quod non est, de R. I. titio de lib. 6. cap. 2. de observ. jejun. cap. quanto, de consuetud. cap. sicut, de consecr. dist. 5. leg. 2. C. de Patribus, qui filios, l. 2. ff. de feriis. Accedit quod necessitas extrema omnes res communes facit licet, cap. discipulos: & ideo qui tali necessitate premittitur, potest illis jure suo citra crimen furti, labemque peccati uti, quia is, qui re communi utitur, potius facere videtur jure suo, quam furandi animo, leg. marito 52. ff. pro socio. Nec hanc communionem impedit possessoris contraria voluntas, seu prohibitio; nam cum ea injusta sit, & juri naturali contraria, idè non attenditur: divisio enim rerum, quæ jure gentium facta fuit, §. 1. Inst. de jure naturali. non derogat juri naturali, quod disponit, ex rebus temporalibus subvenientium esse extremæ hominum necessitati, ut sentire videtur Covar. in regula peccatum, 2. p. §. 1. n. 3. Tum quia per eam divisionem non derogatur alia lex, quæ dicitur, ut quis non possit alteri homini facere, quod sibi fieri noluit, cap. cum omnes, de constitut. leg. 1. ff. quod quisque jur. docuerunt Sayrus in clavi Regia, cap. 14. num. 18. Lessius lib. 2. de justit. cap. 12. dub. 12. Bonacina in tract. de restitut. quest. 8. punct. 8. num. 4. Et ideo dominus rei non potest agrè ferre, quod extrema egestate laborans rem propriam occupet: quod intelligendum est dummodo dominus ipse non sit in pari necessitate constitutus; tunc enim non licet illum re sua privare, cum in pari periculo & necessitate melior sit conditio possidentis. Accedit nam necessitas moderamen non diligit, ut Casiodorus ait lib. 4. epist. 13. quia ut loquitur Horatius, omnia rapit

— *Equa lege necessitas;*

Sortitur insignes, & imos.

Omne capax movet urna nomen.

Instante enim necessitate nulla legum ratio habetur.

ff 2

betur, Plato de legibus, ibi: Imò habet suas necessitas leges tam duras, ut nulla eis resistere possint, nec Deus eas queat violare. Diog. Laërt. libr. 1. de vit. Philosoph. c. 5. dixisse ait Pittacum, tantam esse necessitatis vim, ut nec Dii ipsi reluctari possint. Ergo qui extrema necessitate laborans propter famem aut nuditatem rem alienam occupavit, furtum non committit. Necessitatem hanc necessariam necessitatem dixit Tertul. de chor. milit. obsecrissimam famem appellavit Imper. Valent. novell. 11 in illis verbis: Nihil est ad quod non desperatione salutis impellat. Nihil turpe, nihil vetunum credit esuriens. Solacura est, ut qualicumque sorte vivatur. Facit Cassiod. lib. 9. epist. 13. Sub quali excusatione peccare creditur, cui necessaria non prabentur. Seneca lib. 4. controv. 4. Necessitas est lex temporis Chrysolog. serm. 35. In arduis languoribus dat crebro consilium vis doloris: in desperatis causis est sepe magistra necessitas, invenit ipsa sibi passio medicinam. Alia de necessitate congestit Filicelac lib. 3. select. fol. 221.

Unde merito difficilis videtur præsens textus, dum in eo docetur, ob famem, aut nuditatem rem alienam occupanti imponendam esse penitentiam jejunii per tres hebdomadas; nam si coactus fame hoc fecit, nullum delictum admittit: quare pro hujus textus expositione varia adduxerunt Interpretes. Plerique existimant, præsentem textum esse accipiendum de necessitate extrema, per quam is qui surripuit, non omnino liberatur à culpa, quoniam ex quadam supererogatione tenetur tribus hebdomadis penitere, eo quod illa occupatio imaginem furtivam habeat, à qua per penitentiam liber, & immunis redditur, ut docuit Covarr. in regul. peccatum, 2. part. c. 1. num. 3. Alii docent, idem in præsentem penitentiam injungi, quia qui egestate laborans extrema, rem occupavit, ad pinguiorem fortunam rediens, eam non restituit, ut facere tenebatur, argumento capitis Odoardus de solut. 1. Nesennius, ff. de negot. gestis. Sed utraque solutio displicet: tum quia eum res ita occupata tempore necessitatis extremæ communis esset, consequens est, eam ut propriam ab inope occupari, ultra alicujus peccati reatum: & ita nullam debet affici poenam, tam in foro externo, quam interno, ut docent Abbas hic, num. 6. Archid. num. 10. tum etiam, quia qui extrema necessitate coactus rem furatur, non tenetur illam restituere, etsi ad pinguiorem fortunam pervenerit, ut docent Richardus in 4. sent. dist. 15. Angelus Sylvester in summa. verbo Furtum, q. 5. Covarr. ubi supra, Cavallos communium q. 729. num. 15. Aliter exponunt textum hunc Glossa 1. hic, Hostiensis, & Cardinal. in princ. Abbas num. 2. & 5. qui asserunt in præsentem dumtaxat agi de necessitate gravi, seu modica: quæ cum extrema non sit, minimè excusat à peccato. Sylvester ubi supra, quest. 3. unde cum peccatum eo casu committatur, meritò imponitur penitentia per tres hebdomadas: quo modo etiam accipiunt textum in c. fraternitatis 12. q. 2. Verùm hæc interpretatio, præterquam quod divinatória est, siquidem ex textu serie non constat, de qua necessitate agatur, si de gravi, aut modica tantum accipitur, etiam post restitutionem penitentia erat injungenda. Quare his, & aliis omiſſis verius dicendum credo cum Mendoza lib. 2. Concilii Illibert. cap. 15. in præsentem penitentiam imponi non propter culpam, sed propter causam, ut de homicidio ob vitæ defensionem

admissio, probavi in cap. 2. de homicid. Veteres enim Ecclesiæ Patres non tantum pro malis, verum & pro his omnibus, quæ mali speciem præ se ferebant, penitentiam injungere consueverant, ut poenæ metu in officio, & æquitate fideles continerent, dum videbant non solum pro culpulis, verum & pro illis casibus, in quibus suspicio mali dabatur, penitentiam imponi. Unde cum in præsentem casu, etsi ob necessitatem res auferretur ab inope, suspicari possit furtum committi, ideo Patres penitentiam, etsi levem, injunxerunt. Sed huic solutioni obstare videtur, quod in eodem textu asseritur, post restitutionem rei ablata non cogi eum, qui eam surripuit, jejunare: ergo quia propter furti suspensionem jejunandi obligatio injuncta non fuerat. Nam dicendum est, potius inde deduci, penitentiam injunctam fuisse, non propter culpam, sed propter culpæ suspensionem; nam cum & ea cesset post restitutionem, non cogitur qui rem alienam tempore necessitatis abstulit post restitutionem jejunare.

Nec obstat dubitandi ratio supra expensa; nam licet furtum, quatenus furtum est, sit probum à natura; tempore tamen extremæ necessitatis pro vitæ priè furtum non committitur, quia cum sit ab extrema necessitate, res illæ, quæ alienæ videbantur, communes efficiuntur quoad eos, qui extrema necessitate patiuntur. Unde talis ablatio non videtur contraria juri naturali, cum potius nitatur permissione ipsius juris naturalis. Nec obstat ejusdem difficultatis augmentum deductum ex d. leg. palam, §. non est: cui omniſa solutione Glossa in præsentem, dicendum est, discrimen provenire ex diversitate malitiæ utriusque delicti; nam peccata adulterii, perjurii, fornicationis, & similia, sunt simpliciter, & intrinsecè mala, adeo ut eorum malitia non possit tolli consensu, aut voluntate humana, aut alia qualibet circumstantiâ; & ideo nec mariti consensus, nec ipsius fœminæ voluntas sufficit ad tollendam adulterii, aut simplicis fornicationis malitiam: unde extrema necessitas, veluti vitæ conservanda, non potest reddere fornicationem licitam; nec propriam uxorem, quæ uxor non est: at verò furtum non est simpliciter, & intrinsecè malum, sed tantum ex eo, quod proximo injuriosum, & iniquum est; ideoque ejus malitia, & proximi injuria cessat ex nonnullis circumstantiis, veluti ex consensu Domini expressè præſtito, vel præſumpto, aut aliis debitis, qualis contingit tempore extremæ necessitatis. Unde hæc circumstantia removet furti malitiam, facitque, ut licitè quis in extrema necessitate possit rem ab alio possessam auferre. Quam discriminis rationem præſentem Panormit. in cap. quorundam, de simonia, n. 50. Covarr. d. §. 1. num. 7. quæ etiam ratio facit, ut licitè quis servatò moderamine inculpata tutelæ, possit in sui defensionem alium occidere, non autem pro vitæ conservanda possit aliqua fornicationis specie uti; nam cum peccatum hoc sit intrinsecè, & simpliciter malum, nulla circumstantia etiam vitæ conservande potest tollere ejus malitiam: at verò homicidium est malum, quatenus est injuriosum proximo; unde necessitas vitæ conservande potest illud licitum reddere.

Sed supra traditis obstat textus in cap. sicut 33. Exponitur 9. 4. in illis verbis: Sicut factus est mori fame, necur quam idolothytis vesci. Ex quibus expressè deductum citur, nec etiam ob extremam famis necessitatem licere idolothytis, id est carnis idolo immo-
latus, q. 2.

latis vesci : igitur nec etiam aliena rapere propter extremam necessitatem licet. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, verum esse, non licere idolothytis vesci, *cap. si quis carnem* 13. 30. *dist. docent Petrus Gregor. lib. 9. synag. cap. 1. Dorleans ad Tacitum lib. 2. fol. 291.* Mancinus de *trip. iur. collat. cap. 95.* ne ita sacrificiis Gentilium Christianus assentire videatur: tamen urgente famis necessitate licet illis vesci, quia cum præceptum vitæ conservandæ sit juris naturalis, prohibitio autem illa tantum sit juris positivi, ideo quando duo præcepta simul concurrunt, quorum unum

est juris naturalis, aliud verò juris positivi, iuri naturali, quod prævalet, est standum, ut tradunt in specie Molina *de iustitia tract. 5. disput. 62.* *Ægid. Corinth. tract. de fide. disput. 15. num. 54.* Valquez *in 1. 2. disputat. 162. cap. 2. § 5.* Si autem cogatur quis idolothytis vesci in idolorum cultum, tunc procedit textus *in dist. cap. sicut fatius*; quia potius debet pati mortem, quam idololatriæ consentire, ut docuerunt *Victoria in relell. de usu cibor. numer. 3. Acunna in capit. presbyter 33. numer. final. 50. dist.*

CAPUT IV.

Hieronymus ^a super Parabolas.

Qui cum fure partitur, odit animam suam. Non fur solum, sed ille reus tenetur, qui furti conscius, quærente possessore non indicat.

NOTÆ

I. a **D.** Hieronymus.) Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 6.* priora verba sunt capituli 29. Proverbiorum; posteriora verba D. Hieronymi, seu alterius Interpretis ea exponentis, *In d. cap. 29.* ita legitur: *Qui cum fure partitur, odit animam suam, ad iuramentum audit, & non iudicat.* Quæ exponit Salazar *tom. 2. in Proverb. cap. 29. vers. 24.* Illa verò non fur solum, &c. sunt D. Hieronymi, ut leguntur in ipsa Glossa ordinaria.

COMMENTARIUM.

2. **EX** hoc textu sequens deducitur assertio: *Non solum fur est, qui rem furatur, verum & qui Domino requirenti rem furtivam non indicat.* Quæ assertio probari potest *ex d. cap. dilectus, de excessu. Pralat. l. 1. § 2. ff. de receptatoribus, l. 2. C. eod. tit. l. congruit 13. ff. de offic. Præs. l. sed si quis, §. si duo, l. falsus, §. qui alium, l. qui vas 48. §. qui cum fure, ff. de furtis, l. incivile 2. l. civile 15. l. si mancipium 23. C. eod. l. idem, §. si tibi, ff. de condit. ob turp. l. solet, ff. de prescript. verb. l. ex quibus, §. Dominus, ff. de iure fisci. l. si Baratorem, C. de fideiuss. l. rationem, C. ad leg. Cornel. de falsis, l. penult. C. ad leg. Jul. de vi public. l. presenti, C. de his qui ad Ecclesiam, l. 1. ff. ad leg. Jul. de vi public. Ex D. Gregorio in cap. 7. Josue, qui affirmat propterea cunctum populum propter unius Acham furtum, qui contra præceptum Domini pretiola quædam suppellectilia ex anathemate urbis Jericho surripuerat, severè punitum, quia diffebatur manifestatio criminis; & ideo populus in peccati consortio esse videbatur, quando crimen suppressum erat, ex legibus Ripuar. titul. 4. ibi: *Quod si in domo fuerit, & ei scrutinium, cuius est domus, contradixerit, fur habetur.* Illustrant ultra repentes à Barboza relatos in presenti, Petrus Gregor. *lib. 1. part. tit. 10. cap. 7.* Covarr. in *regul. peccatum, 2. part. §. 3. num. 4.* Osualdus *lib. 14. Donel. capit. 25. littera L.* Cujac. *lib. 11. obser. cap. 48.* Gutierrez *lib. 1. canonic. capit. 11.* Flores de Mena *lib. 1. var. cap. 18.* Farin. in *praxi, 9. 125. numer. 306.* Molina *de iustitia tom. 4. tract. 3. disput. 4. num. 2.* Suarez *de censur. disput. 17. sect. 3. num. 4.* Mancinus *sacri iuris controu. cap. 11.* Sayrus *in clavi Regia lib. 9. cap. 14.* D. D. Gonzal, in *Decretal. Tom. V.**

Gibalinus *de censur. 3. disquisit. 2. quest. 6. consec. 4.* 3. Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti iuris consideratione; nam vel in presenti fur iudicatur, qui furem non indicat, vel qui rem furtivam non exhibet: sed neutro casu, qui celat furem, aut rem furtivam, ut fur tenetur: ergo malè in presenti assertur, eum participem furti iudicari. Prior pars minoris propositionis probatur ex eo, nam nemo tenetur, immò nec potest infamare proximum, qui adhuc latet, nisi in crimine hæresis, ut latè probat Gibalinus *de censur. dist. disquisit. 1. q. 6. consec. 3. per totum.* Igitur non tenetur quis Domino indicare furem occultum. Secunda pars propositionis probatur ex eo; nam si teneretur ut furti particeps, propriè teneretur ut fur non manifestus: sed tenetur pæna furti manifesti *ex l. 12. Tabul. 2.* ita concepta: *Si furtum lance, licioque conceptum exciit, atque uti manifestum vindicator.* Facit Aul. Gel. *lib. 11. notitium, cap. ultim. ibi: Decemviri in 12. Tabulis ea furtiva, quæ per lancem, licioque concepta essent, proinde ac si manifesta essent, vindicaverunt.* Igitur non tenetur in presenti docetur, eum qui celavit rem furtivam, nec domino requirenti, & reposcenti, indicavit, ut participem furti teneri.

4. Quæ dubitandi ratio ita fulcitâ non obstante, vera est præsens assertio, cujus ratio provenit ex eo, quia novâ contestatione nova nascitur furti obligatio: & ideo furtum committit, qui rem alienam scienter receptat, *l. 2. l. eos, C. de furtis, l. 1. ff. pro emptore, l. 5. §. quinimo, ff. commodati, nam non dissimile crimen est rapere, quam raptam rem celare, l. 1. ff. de recept. l. congruit 13. ff. de offic. Præs. l. 1. C. de his, qui latrones: quia agentes & consentientes pari pœnâ puniuntur, l. 1. §. qui opem 34. cum duab. sequent. ff. de furt. l. si servus 27. §. si quis, ff. ad leg. Aquil. l. hac lege. §. 1. ff. ad leg. Jul. pecul. §. interdum, Instir. de oblig. qua ex delict. docent Osualdus *lib. 15. comment. Donel. cap. 29. littera D.* Farinac. *de furtis quest. 166. ex n. 56.* Quare is, penes quem res furtiva invenitur, eam restituere Domino penitentem tenetur, etiam si rem pretio emerit, *l. 2. l. 5. C. de furtis, l. 2. §. 3. C. de R. P.* propter suspicionem participati furti: quare ab ignotis res emere incivile est, *l. 5. ibi: Ab ignoto & transeunte te emisse dicere non convenit: C. de furtis Carolus Pippinus lib. 5. capit. cap. 29. Nullus comparet cavallum, bovem,**

bovem, vel aliam rem, nisi illum hominem cognoscit, qui ei vendiderit, aut de quo pago est, vel ubi manet. Et l. 8. tit. 2. lib. 7. leg. Visigoth. notavit Svarus ad Sidonium libr. 6. epistola 4. Hæc tamen doctrina procedit eo casu, quo is, qui à fure rem subreptam, vel ejus partem accepit, sciens & dolo malo fecit, non si ignorans accepit, quia tunc particeps criminis non est, nec actione furti tenebitur. Canteria 99. crimin. cap. 8. Farinacius de furt. quest. 133. num. 99. nam ad hoc, ut furem receptans, vel rem furatam celans teneatur ex furto, necessarium omnino est, ut scierit id faciat, dicit l. eos. C. de furtis. l. 1. §. 2. ff. de recept. l. 2. §. quamvis, ff. de servo corrupto, l. sacrilegii 6. §. ultim. ff. ad leg. Jul. pecul. Erideo sciens si receperit, tenebitur, quamvis non habeat animum sibi lucrandi, leg. si quis preferendum, ff. eodem. Unde rectè Div. Hieronymus in præsentia ait participem furti credi eum, qui Domino quærenti, & reposcenti rem furtivam celat, & non restituit. Dubium tamen est, an ex eo, quod res furtiva apud aliquem reperitur, præsumatur ipsam subtraxisse, nisi doceat à quo habuerit? Et dicendum est simpliciter, & absolute præsumendum non esse contra eum, qui talem rem furtivam habet; sed ita demùm, si propter qualitatem personæ, & frequentiam hujusmodi actuum censeatur suspectus de furto, & participatione cum fure; vel si minori pretio, vel clandestinè quis emerit: nam ex his indicis, & aliis similibus præsumitur scientia, dolo, & malitia, l. dolus, C. de dolo: notant Bartolus & Baldus in l. incivile, C. de furtis: qui docent ex his & aliis circumstantiis posse judicem devenire ad torturam, argumento legis de minore, §. tormenta ff. de quest. Unde si persona apud quam res furtiva invenitur, sit gravis, & honesta, tunc nec contra eum præsumitur, nec debet torqueri, l. non omnis, §. à Barbaris, ff. de re militar. Nec contrarium probat textus in l. minorem, C. ad legem Cornel. de falsi, ubi docetur, quod qui utitur falso instrumento, præsumitur indistinctè illud fabricasse. Nam respondeo, illum textum procedere eo casu dumtaxat, in quo loquitur, nempe quando quis falso instrumento utitur: nam tunc præsumitur illud fabricasse, nisi exprimat personam, quæ fecit: non verò quando instrumentum falsum reperitur penes eum. Docuit Angelus ibi.

5. Dissolvitur dubiandi ratio. Nec obstat dubitandi ratio supra expensa, pro cuius prioris partis solutione quærent DD. an iudex possit imperare manifestationem, non modò furti, verùm & auctoris ipsius? & Gutierrez libr. 1. can. cap. 11. num. 11. Nevizantius lib. 3. silve nuptialis, num. 30. docent iudicem ex officio posse jubere, sibi prodi furem, non verò si ad instantiam partis procedat. Sed communiter repetentes in præsentia docent, ex mandato iudicis furem indicandum esse ex præsentia textu, & ex cap. 2. de offic. ordin. cap. dilectus, de excessib. Prælator. Quod verum credo præcipuè ubi necessitas ad est cognoscendi furem, quia etiam si notum sit ubi nam habeatur res furtiva; recuperari tamen nequit, nisi manifestato fure, ut docuit Gibalinus de censur. disquisit. 2. qu. 6. consel. 4. Hoc tamen non procedit, quando indicato fure timeri potest ejus ultimum supplicium; tunc enim meliùs est taceri, ut D. Augustin. affirmat in cap. ne quis arbitretur, cap. 14. 22. q. 2. ubi scribit, quod licet perfectus, & spiritualis homo pro alterius vita non possit mentiri, potest tamen, & debet verum occultare,

quoniam illud est mentiri, hoc tantùm verum celare: sicut aliud est falsum dicere, aliud verum tacere. Et sic ex sententia D. Augustini nemo tenetur furem prodere, quando periculum vitæ timeatur. Generaliter ergo iudex potest subditos compellere ad indicandum furem, argumento legis 3. ff. de offic. Præsid. l. 1. cum duabus sequent. ff. de servis fugit. Unde deducitur; jure optimo Episcopos literas monitorias decernere, non solum pro rebus subreptis, verùm & pro fure indicando; juxta Concilii Trident. decretum sess. 25. de reform. cap. 3. vers. Quapropter: cuius dispositio non solum fulcitur decisione textus in cap. ad nostram 20. de jurejur. verùm & ea ratione, nam ad officium iudicis spectat fures inquirere, & punire, dicit l. 3. cap. 1. de offic. ordin. Et cum Episcopus ratione peccati iudex sit competens, etiam inter laicos, cap. novit, ubi probavi, de iudiciis; ideo potest per dictas literas monitorias cogere laicos fures indicare juxta dictum canonem Concilii Trident. quem latè explicat Theophilus Raynaud tom. 4. in tract. de lit. monit. Nec obstat alia pars ipsius dubitandi rationis, quæ proprius ad præsentem textum spectat; siquidem in eo non agitur de obligatione indicandi furem, sed exhibendi rem furtivam. Pro cuius solutione sciendum est, olim furtum conceptum dici, quando res furtiva per lancem, & licium inquisita requirebatur: juxta formam, quam ex Gellio, & aliis illustrat Petrus Pithæus libr. 1. adversar. cap. 1. & is apud quem res inventa erat, tanquam fur manifestus tenebatur usque dum Justinianus eam furti speciem cum aliis abrogavit in §. furtorum, Insti. de obligat. qua ex delict. Et ita novo jure pœnâ tantum furti non manifesti tenetur. Unde præsens textus dum ait, eum qui rem furtivam quærenti domino non indicat, furti teneri, intelligendus est de furto non manifesti, juxta novam Justinianus constitutionem; non verò de furto manifesto, secundum antiquam legem decemviralem supra relatam.

Verùm supra traditæ assertioni obstat textus in 6. l. idem 4. ff. de condit. ob turpem caus. ubi inquit Expositus Consultus, quod si Titio indicium dedero (indicium est præmium, quod iudici præstat, l. qui vas tuus in l. 48. §. 9. ff. de furt.) ut fugitivum servum meum in 4. ff. de dicit, vel furem rerum mearum, non potero quod condit. dedi repetere, quia turpiter Titius non accipit. ob turp. Igitur quia ad rem furtivam indicandam nemo tenetur, aliàs non liceret pecuniam pro tali indicatione accipere: & etiam deducitur, licitum esse accipere pecuniam, ut quis rem furtivam non indicet; si enim rem furtivam indicare mihi liberum est, non indicare itidem mihi liberum erit; cum contrarietatem eadem sit ratio, & doctrina, l. 1. §. 2. ff. de his qui sunt sui, vel alieni, l. si contra 35. ff. de vulgar. l. qui filium 64. ff. de legat. 3. leg. ult. C. de indic. viduitate. Unde cognito uno de contrariis, cognoscitur & aliud, d. l. et si contra leg. penult. & ibi Baldus C. de solut. & posito uno contrariorum in esse, removetur reliquum, l. inter me 25. ff. de except. rei indic. l. Pomponius 40. §. sed & is, ff. de procurat. l. hæc verba 124. ff. de P. S. Hinc quod operatur propositum in proposito, idem operatur oppositum in opposito, leg. ultim. de calumniat. l. final. Cod. de fruct. & litium expens. Ergo si licet pretium accipere pro indicando, vel non, re furtiva, ex eo maximè est quia talis indicationis nulla necessitas à jure competit. Pro primæ difficultatis expositione dicendum est, in specie textus in dicit. leg. 4. & in l. solent ff. de

de prescript. verb. pecuniam acceptam, vel promissam in præmium non fuisse pro simplici manifestatione servi fugitivi, vel furis, quia pro ea pretium recepti non poterat, ut post alios docet Lessius de iust. lib. 2. cap. 14. numer. 66. sed tantum pro labore, & industria requirendi servum fugitivum, aut aliam rem furtivam, ejusque furem. Quæ interpretatio colligitur ex d. l. solent, ibi: Solent etiam mercedes hujus rei accipere. Ubi Consultus appellat mercedem, quod datum est causâ indicandi furem: sed merces propriè dicitur, quod datur respectu proprii laboris; unde constat, in eo textu non tam pro indicatione, quam pro ipso labore mercedem accipi. Juxta quam solutionem accipiendus est Ulpianus in l. falsus 44. §. qui alienam, ff. de furtis, ubi scribit, eum qui rem alienam invenit, non posse petere inventionis præmium pro restitutione rei inventæ: quod non procedit, ut excludatur justa compensatio laboris, & expensarum factarum in inventionem ejusdem rei; nam pro labore habito in requirenda re justè merces recipitur, ut notant Albericus, & Jaso in d. l. 4. §. sibi, ff. de condit. ob turp. Felinus in cap. delicti, numer. 3. de accusat. sed eo casu procedit Consultus, quando nihil inventum est; tunc enim gratis alienam rem inventam domino restituere tenetur inventor, cap. si siquid invenisti 14. qu. 5. Molina de iust. tract. 2. disp. 83. numer. 6. Lessius d. cap. 14. numer. 66. Gomez lib. 3. var. cap. 5. numer. 2. Azevedus in leg. 6. tit. 15. lib. 4. recopil. Barboza hic, numer. final. Nec obstat secunda difficultas, quia in præsentis casu ratio diversa est, quæ diversum jus inducit; nam indicare furem respicit publicam utilitatem, ut scelera puniantur; & propterea permissum est; pecuniam accipere, ut fur indicetur, nec turpiter accepta dicitur: at non indicare furem, est contra publicam utilitatem, & propterea pecuniam turpiter datam, & acceptam esse traditur in d. l. idem si, vers. Item si dederit. Per hoc enim lucrum, quod quis percipit, inferitur damnnum Reipublicæ, cujus interest ne crimina contegantur, sed malefactores pœnis subiciantur, dicit. leg. congruit, ff. de offic. Præsidis: Docuit Andreas Cludius ad tit. ff. de condit. ob turp. cap. 3. numer. 70.

48. §. qui furem, ff. de furtis, in illis verbis: Qui Expofurem novit, sive indicet eum, sive non indicet, fur non est. Ex quibus expressè deducitur, eum qui furem non indicat, furem non esse. Ergo non rectè in præsentis asserimus, furti participem esse eum, qui domino requirenti rem furtivam illam non indicat. Pro cujus difficultatis solutione Anania hic, numer. 3. Barboza, numer. 1. Covarr. dicit. §. 3. numer. 5. Suarez de censur. disput. 17. sect. 3. numer. 8. Mena dicit. quest. 18. numer. 8. asserunt Hieronymum in præsentis agere de furti culpa, non quoad obligationem restituendi, ita ut conscius furti illud quærenti domino non indicans lethaliter peccet, quod probari videtur ex illis verbis: Occidit animam suam; quæ de interiori reatu mortali accipienda sunt: non verò asserere sanctum Doctorem, eum actione furti teneri, juxta dictam legem qui vas, §. qui furem. Sed hæc interpretatio facilè refellitur ex verbis præsentis textus, ex quibus constat, reum furti esse, qui Domino non indicat rem furtivam: quare veritas dicendum est in d. §. qui furem, non agi de indicante, vel non rem furtivam, quam etiam jure civili quis exhibere cogebatur, aliàs furti concepti, vel non exhibiti actione tenebatur; sed de indicante furem, vel non, quem et si celans furti teneatur, tamen non indicans, ut fur non punitur, ut expressè docetur in fine ejusdem §. qui furem, & notavit Gothofr. in d. l. 4. ff. de condit. ob turp.

Ex suprâ traditis lucem accipit textus in l. servus 36 ff. de condit. indeb. ubi refert Paulus, servum cujusdam magidem (id est vas, quo farina subigitur) insciente domino commodasse, & eum cui servus commodaverat, pignori tradidisse: & ait Consultus, quod si is, qui pignori accepit, alienam esse sciebat, furti eum teneri, quia sciens rem alienam pignori accepit; secus verò si nesciisset alienam rem esse; nam servus, qui non habebat pecuniæ administrationem, distrahens magidem nesciente domino, furtum commisit l. interdum, §. cum autem, ff. de furtis, l. si liber, C. quod cum eo, l. qui a servo 16. ff. de O. & A. docuit Cujac. lib. 15. observ. cap. 18. Unde qui sciens magidem ipsam pignori accepit, furtum commisit, quia quamvis non haberet animum lucrifaciendi, tamen rem furtivam scienter detinebat nec domino inquirenti indicabat.

7. Secundò suprâ traditis obstat textus in l. qui vas

CAPUT V.

Alexander III^a Cremonensⁱ Episcopo.

EX litteris tuis, si bene meminimus, auribus nostris innotuit, & dil. fil. I.^b subdiaconi nostri diligens relatio patefecit, quod B. lator præsentium^c calicem quandam in Ecclesia minùs cautè dimissum invenit: quem licet avaritiæ cupiditate rapuerit, & insipienter longo tempore detinuerit, postea tamen pœnitentiâ ductus Presbytero in confessione excessum suum humiliter, & reverenter aperuit, Ecclesia juxta eundem Presbyteri consilium pro ut dignum fuit, exinde satisfecit. Unde quoniam propter hoc ipsum tuæ fraternitatis discretio dubitat ordinare, prudentiæ tuæ per A. s. p. m. quat. si prædictus B. spontanea voluntate sui animi confessus fuerit hujusmodi præsumptionis excessum, & exinde Ecclesiæ, cujus calix fuerit, satisfecit, nec est super hoc notâ, vel infamiâ manifestâ respersus, post peractam penitentiam, aut congruam partem pœnitentiæ, dummodo aliàs ipsum idoneum esse cognoscas, ad sacros ordines non dubites^d promovere.

- I. a **CRemonenſi.**) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap. final.* Cremona eſt urbs Italiae in Liguria, non procul à Mantua, quæ etiam hodie nomen retinet: cujus cives cùm contra Auguſtum Antonio ad hæſiſſent, Cæſar victor veteranis ſuis eorum agros aſſignavit; qui cùm non ſuffeciſſent, adjecit etiam Mantuanorum agros, nullam aliam ob culpam, niſi quòd Cremonenſibus vicini eſſent. Hinc Virgil. *eclog. 9.*
- Mantua vamiſere nimium vicina Cremona.*
- Habit Eccleſiam Cathedralem jam à primis Eccleſiæ ſæculis; ſiquidem Euthachius ejus Præſul ſubſcripſit Concilii Romanis 3. & 6. ſub Simmacho.
- b *Subdiaconi noſtri.*) De officio ſubdiaconi Romanæ Eccleſiæ egi in *cap. 1. de teſtam. cap. 1. de tranſact.*
- c *Calicem.*) De Calice, & ejus materia egi in *cap. 1. de pignoriſus, cap. final. de celebrat. Miſſar.*
- d *Promovere.*) Abſque ulla abſolutione; unde deducitur, eum, qui furatur rem ſacram de loco ſacro, non eſſe excommunicatum ipſo jure, cùm in præſenti jubeat Alexander, furem calicis promoveri ad ſacros ordines; ſi autem eſſet excommunicatus, non permetteret Pontifex abſque abſolutione eum promoveri. Facit etiam, nam ſi excommunicatus eſſet ipſo jure, indigeret abſolutione, etiam poſt ſatiſfactionem, ut probavi in *c. 1. de judiciis.* Verum tamen eſt, eum graviter peccare, & excommunicandum eſſe, *cap. conqueſtus, de foro compet.* ubi latè probavi. Nec contrarium probat textus in *cap. conqueſti 22. de ſent. excom.* ubi Pontifex declarat ſacrilegos, & ipſo jure excommunicatos eſſe eos, qui quaſdam Eccleſiæ ſpoliarunt. Nam reſpondetur, textum illum procedere quando quis rem Eccleſiæ rapuit per violentiam, vel Eccleſiæ fracturam, ut expreſſè conſtat ex illis verbis, *violenter conſregerunt*; ſecus verò quando quis abſque violentia ſurripuit rem Eccleſiæ; tunc enim non eſt ipſo jure excommunicatus, ut docuerunt Abbas, & Cardinalis in *præſenti*, Cajetanus in *ſumma*, verbo *Excommunicatio* 21. Navarrus in *manuali*, *cap. 27. num. 44.* Molina de *juſt. tom. 3. tract. 2. diſput. 94. num. 2.* Azor. *p. 1. moral. lib. 9. cap. 27. qu. 13.* ubi ex prædicta diſtinctione exponit textus in *cap. quiſquis, cap. omnes Eccleſiæ 17. cap. 4. Canonici 11. q. 3.* Et hæc eſt vera ſententia, licet alii contrariam tenuerint. Videndi ſunt Suarez de *cenſur. diſput. 22. ſect. 5.* Gibalinus in *ſynopſi cenſurar. littera 1. nu. 6.* Inde etiam inferitur, quod ſi qui furando criminofus effectus fuit, præſtitit ſatiſfactionem poſt pœnitentiam non creditur criminofus quoad effectum promotionis ad ordines, non autem quoad pœnam ſibi infligendam ex tali delicto *l. qui ea mente, ff. de furt.* Quia licet per pœnitentiam liberetur quis à reatu quoad forum internum, non tamen à pœnis impoſitis ſimili delicto quoad forum externum.

COMMENTARIUM.

3. **EX** hoc textu communiter deducitur, furem occultum poſt pœnitentiam, & ſatiſfactionem poſſe ad ſacros ordines promoveri. Quam concluſionem generaliter in omnibus delictis occultis examinavi, & probavi in *cap. ex tua-*

rum, de tempor. ordin. ſed præſens decifio de furto tantum agens difficilis redditur ex eo; nam is qui furum perpetravit, eo ipſo juris infamia notatur; nam quocunque genere furti damnatus infamis eſt. Paulus *lib. 2. ſent. tit. 37. §. 14.* ſed infamia notatus, ab officiis, & dignitatibus eccleſiaſticis removetur, *cap. inter 11. de exceſſ. Prælat. cap. querela, de jurejur. regula Infamibus, de R. l. lib. 6.* ex principio textus in *l. unic. C. de infamibus, lib. 11. l. infamia, C. de Decur. eod. lib. 11. C. de dignit. lib. 12.* Ergo qui furum commiſit etiam poſt pœnitentiam, & ſatiſfactionem ad ordines ſacros promoveri nequit. Pro cujus difficultatis ſolutione ſciendum eſt, infamem infamiam juris irregularem eſſe, ita ut neque poſſit promoveri ad ſacros ordines, nec in ſuſceptis miniſtrare, *cap. qui in aliquo, cap. final. 51. diſt. cap. Euphemium, §. hinc 2. quaſt. 3. cap. ipſi Apoſtoli, 2. quaſt. 7.* quod procedit etiam ſi infamia ſtatuta ſit à jure civili; nam qui ſecundum jus illud infamis eſt, etiam ſecundum ſacros canones infamis judicatur, *cap. 1. 6. quaſt. 1.* ubi Pontifex generaliter ait: *Omnes eos infames eſſe dicimus, quos leges ſaculi infames appellant.* Infamis verò infamia facti, qualis eſt ille, cujus opinio eſt facta, vel delicto apud probos, & graves viros onerata eſt, *cap. omnipotens, de accuſat. cap. infames 3. quaſt. 7. leg. 2. ff. de obſequiis, l. cogit, ff. de var. & extraord. cognit. l. ea qua, C. ex quibus cauſ. infam. irregularis cenſetur quantum ad ſuſcipiendos ſacros ordines, ut probatur ex hoc textu, ibi: Nec eſt ſuper hoc nota, vel infamia, ubi notavit Anania numer. 10. & probatur ex *cap. non debet de teſtibus.* Ubi accuſatores, qui pendente accuſatione infamiam facti notantur, repelluntur à ſuſceptione ordinum: plura congeſſit Gibalinus de *irregul. cap. 5. per totum.* Inter infamiam autem juris, & facti duplex differentia verſatur. Prima quod in juris infamia tantum Summus Pontifex diſpenſare valet, argumento textus in *cap. cum te, de ſent. & re judic.* in infamia verò facti diſpenſare poteſt Episcopopus, nimirum ut illa notatus poſſit in ſuſceptis ordinibus miniſtrare. Secunda differentia eſt, quod irregularitas ex infamia juris proveniens non tollitur per pœnitentiam, *cap. Euphemium 2. quaſt. 3.* ubi dicitur, quod quamvis animas per pœnitentiam ſalvare poſſimus, infamiam abolere non poſſumus: illa verò quæ provenit ex infamia facti, tollitur per pœnitentiam, & per emendationem vitæ purgatur. Gloſſa in *cap. ille qui 6. quaſt. 1.* docet Abbas in *cap. ex diligenti, de ſimonia*: ubi hujus diſcriminis rationem reddit; nam tunc infamia facti tollitur per actum contrarium, id eſt emendationem vitæ, quia per quaſcunque cauſas res naſcitur, per eaſdem diſſolvitur, *cap. teſtimonium, de teſtibus, cap. 1. de R. l.* Nec contrarium probat textus in *cap. at ſi clerici, §. de adulteriis, de judiciis*: ubi deciditur, poſt peractam pœnitentiam adhuc deſiderari diſpenſationem, ut infamia facti tollatur. Quia omiſis variis ſolutionibus dicendum eſt, textum illum procedere in infamia juris, veluti præcedente judicis ſententiâ, ut docuerunt ibi Imola *num. 6.* Abbas *num. 14.* Felinus *num. 16.* Decius *num. 18.* & colligitur ex generalitate ejuſdem §. juncto verſiculo *ſi verò*; in quo probatur clericum convictum, vel conſeſſum deponendum eſſe ab Episcopo, atque ita quod Alexander III. ſubjungit in *§. de adulteriis*, intelligi debet poſt ſententiam; unde ſenſus illius textus erit, quod clericus convictus de crimine ſuſpenden-*

suspendendus est, vel deponendus perpetuo, nisi Episcopus cum eo dispenser: quod facere potest in adulteriis, & aliis minoribus criminibus. Nec hoc repugnat doctrinæ, quam nuper tradidimus, videlicet in irregularitate ex infamia juris proveniente tantum Romanum Pontificem dispensare posse. Nam id intelligitur de immediata irregularitatis dispensatione, non verò de indirecta, quam potest facere Episcopus dispensando directè in delicto: quo facto accessoriè tollitur infamia proveniens ex delicto tali, & per consequens irregularitas. Docuerunt Villadiego *de irregul. cap. 10.* Henriquez *in summa lib. 2. cap. 3. num. 3.*

Unde jam apparet vera ratio præsentis textus, quare in præsentis specie is, qui calicem in Ecclesia minus cautè dimissum surripit, possit ad sacros ordines promoveri, quæ in eo consistit, nam furtum hoc fuit occultum, & ita fur non

fuit infamiâ juris notatus, & ipse pœnitentiam de crimine egit: ac pro calice subrepto satisfecit: quibus existentibus circumstantiis, si aliàs idoneus esset, cessat irregularitas, ut docuerunt in præsentis Anania *num. 1.* Abbas *num. 5.* Socinus *num. 5.* Nec contrarium probant illa verba præsentis textus, *sponse confessus*; ex quibus deducitur, per confessionem ipsius furis furtum hoc notorium factum fuisse; propter furtum autem notorium juris infamia incurritur, *d. l. poterit*: quæ per pœnitentiam tolli non potest, juxta supra tradita. Nam respondendum est, confessionem, de qua in præsentis, non fuisse factam in judicio, sed in foro pœnitentiæ; ideoque per eam furtum notorium factum fuisse, & per consequens juris infamiam non irrogari, ut docuerunt hic Ancharanus *num. 4.* Abbas *num. 3.*

TITULUS XIX.

De Usuris.

CAPUT I.

Alexand. III. *in Concilio^a Turonensi.*

URSUS clericorum, & quod mœrentes dicimus, eorum quoque, qui præsens sæculum professione vocis, & habitu reliquerunt, à canonibus usuras quasi manifestius damnatas exercentes, commodatâ pecuniâ indigentibus, possessiones eorum in pignus accipiunt, & provenientes fructus percipiunt ultra sortem. Idcirco generalis Concilii decernit authoritas, ut nullus amodò constitutus in Clero, vel hoc, vel aliud genus usuræ exercere præsumat: & si aliquis alicujus possessionem datâ pecuniâ sub hac specie in pignus accepit, si sortem suam deductis expensis, de fructibus jam perceperit, absolute possessionem restituat debitori: si autem aliquid minus habet, eo recepto possessio liberè ad Dominum revertatur. Quod si post hujusmodi constituta in clero quisquam extiterit, qui detestandis usurarum lucris insistat, ecclesiastici officii periculum^c patiatur, nisi fortè beneficium Ecclesiæ fuerit, quod^d redimendum ei hoc modo de manu laici videatur.

NOTÆ.

I. ^a *Turonensi.*) ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* & post Concil. Lateran. p. 16. *cap. 2.* addendumque est *can. 2.* juxta Corjolanum *in summa Concil. fol. 524.* de hoc Concilio jam nonnulla notavi *in c. majorib. 3. de præb.*

b *Et habitu.*) Monachi videlicet.
c *Patiatur.*) De pœna clerici usurarii agemus *infra in cap. præterea.*
d *Redimendum.*) De hac altariorum redemptione egi *in cap. quisquis, de elect.* & commentarium hujus textus dedi *in cap. cum contra, de pignoribus.*

CAPUT II.

Idem ^a *Cantuar. Archiepiscopo, & ejus Suffraganeis.*

Quoniam non solum viris ecclesiasticis, sed etiam quibuslibet aliis periculosum est usurarum lucris intendere, auctoritate tibi præsentium duximus injungendum, ut liceat tibi clericos tuos, qui de possessionibus, vel arboribus, quas tenere in pignus noscuntur, sortem suam, deductis expensis inde jam receperunt, ad eadem pignora restituenda sine exactione, ecclesiasticâ districtione compellere.

NOTÆ.